Instructio Gregorii Lilii super Grecorum numerali per literas suas supputatione.

Ad Lectorem.

Ne vero, lector optime / suspensum te forte teneat: cuius studio greca recognitio facta sit: Philesii diligentiam in hoc plurimum cooperatam scias: cuius fideli doctaque manu, totum quod vides opus transscriptum / secundaria dein reuisione eius qui pressit summis vigilantia & excubiis ceregraphatum est. Super Grecorum autem minutiis & numero / consultus per Philesium / doctissimus ille Gregorius Lilius Ziraldus / breuibus in hec respondit, ex Ferraria.

Lilius Gregorius Ziraldus suo Philesio S.D.P.

Cum hinc Venetias versus proficisceretis, suauissime Philesi / ex me petiisti: ut breuiter tibi conlegerem Grecorum numerorum / & eorum particularum figuras, que in CL. Ptolemei tabulis reperiuntur. Exigebas tu quidem ab amico / de quo tibi possis omnia polliceri / rem breuem: verum, cum id altius considerarem, ut morem gererem / visum est mihi rem non ingratam tibi fore: si numeros omnis / & eorum figuras / charecteresque / tibi tanque in abaco, hic in parua pagina effingerem: ut nedum τῶν πινάκων Ptolemei / sed greci cuiuscunque Authoris / arithmeticas figuras possis vel legere / vel tumet effingere. Quod ut tenacius memorie insideat / breui canone conclusi.

Monades, quas nostri singulares numeros appellant, incipiunt, a prima Grecorum litera α, usque ad octauam que est θ. Verum, quoniam nulla est que sex significet: ideo figuram hanc ϛ adscribere soliti sunt Greci. Derades vero, ab ι usque ad π confingunt: sed cum nulla sit / que numerum nonagenarium significet: effingitur ideo hocce ϟ quo id significatur. Centenarii autem numeri, a ρ usque ad ω perducuntur. Sed nulla pariter litera est, que noningentesimum ostendat. unde hoc ipso signo id comprehenditur ϡ. Numerus vero, qui mille dicitur, ab α iterum resumitur, virgula subter obliqua apposita, in formam τῆς προσῳδίας ὀξίας, usque ad θ. Decades etiamnum milium, ab ι usque ad π annotantur. Centenarii quoque milium, ab ρ usque ϡ eadem omnibus virgula apposita. Consueuere quoque grecorum doctiores scriptores / cuique numero accentum μάκρον adponere. Id quod etiam vel ex ipsius Ptolemei exemplari perspicies in primo volumine: quod ut facilius cognoscas, quam breuissime hic subsignaui.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 30 31 40 41 50
α β γ δ ε ϛ ζ η θ ι ια ιβ ιγ ιδ ιε ιϛ ιζ ιη ιθ κ κα &c. λ λα &c. μ μα &c. ν

51 60 61 70 71 80 81 90 91 100 101 200 201 300 301 400
να &c. ξ ξα &c. ο οα &c. π πα &c. ϟ ϟα &c. ρ ρα &c. σ σα &c. τ τα &c. υ

401 500 501 600 601 700 701 800 801 900 901 1000 2000
υα &c. φ φα &c. χ χα &c. ψ ψα &c. ω ωα &c. ϡ ϡα &c. ,α ,β &c.

10000 20000 100000 1000000
,ι &c. ,κ &c. ,ρ &c. ,ρα &c.

Designatis his, iam deueniamus ad numerorum particulas / quas modo minutias Arithmetici vocant. Formantur vero he particule eisdem numerorum literis / paucis inmutatis figuris / gemino accentu acuto supposito: aut quandoque simplici in dextra ipsius parte. Uti si subdimidium (hoc est quod Greci ὑπημιόλιον dicunt) velis effingere / sic formabis ϛ″ vel β″, nostri ½. Subtertium greci ὑπότριτον γ″ vel γ″: nostri ⅓. vel si duas ipsius γο″, ⅔. & similiter in aliis. Subquartus, quod illi ὑποτέτρατον δ″: nos ¼. Subquintus ε″, ⅕. Subsextus ϛ″, ⅙. & pari pacto quousque opus sit. Postque notauimus, quecunque pertinent ad eos / quibus nunc utuntur greci / numeros: opereprecium me quoque facturum arbitratus sum: si eos characteres subsignauero, quos in usu habuisse antiquos / numerorum inscriptiones adhuc testantur. Unum igitur usque ad quattuor, per iota notabant. hoc est ι ιι ιιι ιιιι. quinque vero, per primam numeri literam: hoc est π. quod & apud nos / post Herodianum / notat Priscianus. Sex vero usque ad nouem: addito semper iota. hoc est πι πιι πιιι πιιιι. Decem vero, per primam literam numeri Δ. Vndecim Δι &c. quindecim Δπ. Sexdecim Δπι &c. Viginti per duo ΔΔ. Triginta per tria ΔΔΔ. Quadraginta per quattuor ΔΔΔΔ. Quinquaginta per π inposito Δ hoc modo ⊓Δ. Quinquaginta & unum ⊓Δι &c. Sexaginta ⊓ΔΔ. & deinceps ut supra. Septuaginta ⊓ΔΔΔ. Octoginta ⊓ΔΔΔΔ. Nonaginta ⊓ΔΔΔΔΔ. Centum vero per Η. Ducenta per duo ΗΗ. Trecenta ΗΗΗ. Quattuor centa per quattuor ΗΗΗΗ. Quingenta autem per ⊓Η. Sexcenta per ⊓Η Η. Septencenta ⊓ΗΗΗ. Octocenta ⊓Η ΗΗΗ. Nongenta ϡ. Milia idest χίλια per primam numeri literam χ. Duo milia per χχ &c. Quinque milia ⊓Χ. Sexmilia ⊓Χ χ. Decem milia. hoc est Myrias μυ. Absolui / atque etiam cum mantissa / ut puto, quod postulabas. Si complacui: gratum mei laboris premium accepi / quod abs te amor. Vale Ferrarie. x. cal. Septemb. M D VIII.

Distichon eiusdem.

Chartula que numeros concludit parua Philesi est:
Sed tibi quo dem animo claudere nulla potest.

Hec gratus lector non spernat: aurea nanque sunt & scitu dignissima: testimonio correctionis appendice quodam subiuncta.

ANNO CHRISTI OPT. MAX. M D XIII. MARCII XII.
Pressus hic Ptolemeus Argentine vigilantissima castigatione / industriaque Ioannis Schotti urbis indigene.

REGNANTE MAXIMILIANO CAESARE
SEMPER AVGVSTO.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf